

dentia iis tantum competit, de quibus S. Scriptura loquitur, *Novit Dominus qui sunt ejus.* 2. Tim. 2. vers. 19. Non verò ex eo quòd aliqua secta sit sub generali providentia, concludi potest, regimen ejus & actiones Deo probari. Quamvis enim ipsa a regimine providentiæ Dei exempta non sit; potest pravum regimen, possunt & actiones ejus improbæ esse Deo detestabiles. Non omnes quos generalis providentia Dei sinu suo comprehendit, ad salutarem Dei gratiam admittuntur. Nam generalis providentia non pios tantum & probos, sed & improbos complectitur, quos Deus omnes sole suo illuminat, & pluvia irrigat, nec tamen idem ipsos ad salutarem gratiam admittet. Nos profectò nescimus an usquam terrarum reperiantur tam vecordes fanatici quales in Anglia Auctor esse perhibet, qui vocem euangelii ad anseres & jumenta convertant. * Sed ea de re credere ipsi quàm litem movere malumus. Verùm si ratio ejus quam opinioni suæ substernit admittenda est, quòd quisquis ad generalem Dei providentiam pertinet, ad ejusdem quoque gratiam salutiferam pertinere censendus sit, non est quod Auctor vitio vertat, vel insultet aut illudat istiusmodi anserinis concionatoribus, & jumentorum Apostolis, quòd anseres ac jumenta sua ad vitam æternam aditum habere existiment; cùm generalis pro-
vi-

* Similiter apud Papistas Franciscus avibus, & Antonius de Padua piscibus concionati.